

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-primo mensis Novembris, anno Domini M. DCC. XLVIII.

M. BERNARDO-NICOLAO BERTRAND, Doctore Medico, Præside.

An Vere novo Conceptus, Autumno finiente Partus, felicior?

I.



ATO quàm præcipiti ruunt mortalia! Punctum est, quod vivimus. Nasci, pati, mori, humana sors. Inscii nascimur; patimur inviti; eodem, quo vivimus, perimus motu. Ideò; ut quædam immortalitatis species concilietur viventibus, insita est generandi libido cunctis. Commune enim animantium omnium est, conjunctionis appetitus, procreandi causâ. At quia in conservatione admodùm instabilis, parcaque sit natura; in generatione ferè totam dixeris. Vita quò brevior, eò celerior ad prolem. Id insectis patet evidentissimè. Hanc ob rem, naturæ rerum pa-

rentis, vis & potentia vix creduntur. Organa viventium tàm artificiosè concinnata ſint, tàm multa tàmque varia deprehendantur; quis ad ſui ſimilis productionem, eorum motus reciprocos, Dædaleaſque uſquàm comprehenderit intellectu vias? At à ſolâ naturâ doctus uterque parens, dùm vitam inſtaurat propriam, alienam lucratur, quâ propriâ ſimilitudine utrumque repræſentat; undè perennitas. Id inſupèr ex obſervatione conſtat: indè concubitus, neque nimìs concupiſcendus, neque nimìs pertimeſcendus eſt. Caveat ideò, qui procreandis inſervit liberis, ne in ſecundâ valetudine, adverſæ præſidia conſumat. Ità fiet inſupèr, ut quod ex naturæ votis opus incipit, circumſcripto tempore feliciùs terminetur.

I I

SUSCIPIENDÆ prolis dùm mas & fœmina abſolvunt opus, ſpermate virili muliebre fœcundatur ovum, ſi maturum eſt. Virile ſemen, ſubſtantia eſt alba, fluida, viſcida, ſpumoſa, & ſale conſtat volatili. Hoc in latice animalcula, aut elaſtica quædam corpuſcula, ut obſervatur in Sæpiâ piſce, natant hominis primordia. Illa ſecernuntur intrà ſinuoſos, & exiles teſticulorum tubulos ab ipſo ſanguine, aſſervanturque veſiculis ſeminalibus: in liquore natantia, indefinita numero. Vivido agitantur motu, tùm in homine, tùm in brutis, anguiculorum inſtar, capite sàt craſſo, caudâ tenuiori; àt ut filamenta, in avibus deprehenduntur. Igitur ſi robuſtum ſanumque viri corpus eſt, illicòque, à morte ſubitâ, ſi veſiculæ aperiantur ſeminales, vitro optico deteguntur innumeri vermes in ſemine, adhuc perniciſſimo agitati motu. At ſi juniori aut ſeniori corpore, aut malo habitu, homo ſit; vel ſi ſyphilide afficiatur; tunc aut deſunt, aut pauci numero pereunt brevì. Indè vix ulla generationis ſpes, niſi infirmæ. Muliebre ſemen virili diſpar eſt. Ovum eſt, non menſtruus ſanguis, non ſeroſus liquor, qui ex vaginæ glandulis profluit. Hi liquores generationem juvant, non efficiunt. Hinc quibus deficit menſtrua purgatio, illæ rarò aut nunquàm noſcunt liberos. At in utroque ſexu, dùm mas & fœmina inſerviunt liberis, ubi è virili tubo ſemen exilit, interiore uteri oſculo hiante, tubis curvis, earumque fimbriis, quaſi digitis comprimentibus, adaptatis ovario; tot è millibus, anguiculus unus aut alter ovum fœminæ penetrat maturum, ipſique ovi cicatriculæ inſeritur. Poſt hæc quâ viâ ovarium ſubiit anguiculus, hominis primordium, eâdem ab ovario ipſum in uterum cum ovo redit novus hoſpes. Ovi pediculus, quo adhærebat ovario, utero infigitur, placentaque fit. Hæc pars, gravidis propria, frequentiùs adhæret uteri fundo, qui, quàm uteri collum & latera, craſſior & amplior evadit. Inter hæc, ovi pediculus elongatur, & in umbilicalia vertitur vaſa, quibus à placentâ ad fœtum aſportatur nutritionis materies. Ipſius ovi utraque membrana clanculùm ampliatur in chorion & amnion, quæ membranæ fiunt duæ, nam mittimus Allantoïdem; hæ membranæ totius involucra fœtûs. His liquet ſtructuram utriùſque ſexûs, dotes, conditiones, tàm aptas requiri, ut, ſi quid defecerit, impar ſit generatio.

I I I.

TESTA recens odorem ſervat diù, quo ſemel imbuta eſt: multi ergò refert, quid ipſi affundas, & quo tempore. Concubitus interdiù pejor eſt, tutior noctù; ità tamèn, ſi neque illum cibus, neque hunc cum vigiliâ ſequitur labor. Hinc aurora Veneris amica; àt, ut diei, ità anni conſiderari debent tempora, conditiones, temperamenta, dotes. Hoc idem monſtrat iter natura, in evolutione rerum, quas ſinu ſuo fovet, alit, alterat, efficit. Eligi igitur debet ad generationem cuique convenientius. Tempeſtatum ideò, quas,

totius orbis arbiter, Sol dividit, atque moderatur, ratio habenda eſt maxima. Quæ nebuloſo Jove conſtricta gelu recondebantur, revireſcunt favoniis ſpirantibus. Vere novo, ſucci hùc uſque torpeſcentes, jàm lætiùs emicant, latiùſque diffunduntur; Gemmæ jàm læto turgent in palmite; natura jàm tota viget radiis vitalibus. Venus idcircò eo tempore anni tutiſſima eſt. Reverà ferè omne genus animantum, plantarum genus omne, renovatâ profuſione, perennitatem ſibi parat. Ex arboribus gemmæ, frondes, flores; ſpes alterius vitæ. Quidquid ſpirat, novâ ſuſceptione prolis ardet. Æſtas cuncta jàm maturare incipit, & pollicetur, fructuſque præbet. Canis exortu, quo Sirius ardet, non tantùm caniculares incipiunt dies; ſed & indè fruges æſtu, fructus calore matureſcunt omnes, arefierique terra incipit. Autumnus ſingula temperat & colligit, &, ut, Sole accedente Ver Æſtatem, ità recedente Sole Autumnus excipit Hiemem, quâ partis fruuntur Coloni. Sic naturæ nuſquàm otioſæ tempora circumſcripta ſunt, quæ Sol, mens mundi & temperatio, horum cauſa princeps, unicuique tempeſtati propria impertitur liberaliùs. Atqui ea, quæ Vere novo natura ſuſcipit, eadem definito tempore feliciùs abſolvit germina.

I V.

FŒCUNDA naturæ admodùm providæ vis & harmonia, nunquàm ſatis mirando ſplendet ordine. Piſces, alites, quadrupedes, cæteraque animantia luſtretis. Singulis ſexus eſt, ſicut & inſectorum plurimis, & cunctis definita conceptûs, partûſque tempora. Terreſtres lumbrici, hirudines, cochleæ quamplurimæ utroque ſexu gaudeant, dent & recipiant ſemen; nullum ex his fit ex ſeipſo prægnans. In plantis itèm maſculæ, fœmineæque partes obſervantur; ſivè utrumque ſexum eodem in flore, ſivè in variis ejuſdem ſtirpis partibus, ſivè in ſtirpe diversâ diſtinctum ferant. Ergò mas, qui ſemper in alio; fœmina, quæ ſemper in ſe generat, requiruntur in omnibus. Id naturæ conſonum & analogum eſt. Mitto tamen quorumdam animalculorum generationis modos per varias metamorphoſes, quarum obſervatio licèt miranda, ut curioſa tantùm, fortèque infructuoſa, plerùmque poſthabetur. Diverſas, quis neſcit, induunt formas Erucarum ſpecies, & Bombyx. Fit enim, ut omittam cætera, ovum ex Bombyce, ex ovo vermiculus, è vermiculo Bruchus, Necydalus de Brucho, Bombyx è Necydalo, & de Bombyce rursùs ovum. Hos indè naturæ luſus demiretur Phyſices amans, ſicùt & formicarum apumque, & mores, & ſtudia, & populos. In iis, quàm in maximis videtur fortè natura major. Quidquid ſit, nota duo animantum genera: vivipara, ex quibus fœtus in lucem eduntur vivi: ovipara, quæ primùm ova pariunt, fœcundata priùs, ex quibus poſt modum excluduntur fœtus. At omne ferè animantum genus Vere novo, igne cæco carpitur. Homo, licèt quovis anni tempore operam det liberis; non indè eſt, quod ſibi non expediat, communem cæteris naturam ſequi ducem. Unicum ſolitò, rarò duos, rariùs plures edat fœtus, ut cætera animantia terræ, circumſcriptum habet pariendi terminum. Deſudent interim Phyſici, cur octavo menſe nati, libitinam æquè citò ſalutent, atque lucem? Non hîc noſtrum eſt lites componere. Sàt nunc ſit, ab omni ævo obſervaſſe partum, qui nono, decimovè menſe hominibus contingit, ex naturæ fieri præſcripto. Dùm in utero concluditur fœtus involucris; velut pullus ovi teſtâ circumambiente; abſque ſpiratione, ſenſim nutritur à matre. Creſcit in dies, donec tandèm viviparorum more, in vitales auras è novimeſtri carcere prorumpat. Ità fœtus in utero à matre nutritur, extrà uterum mammis à matre nutriendus. Id omne benè conſulentis naturæ lex.

V.

QUO cariùs habeat quod peperit mater, priùs matri longa novem decemvè menses solitò tulêre fastidia. Statìm à conceptu, jàm tacitus horror circà uterum persentitur; despiciuntur cibi; nausea sæpiùs premit cum vomitu; &, ut gravitate corpus, sic melancholiâ mens laborat. Interim celeriùs, tardiùsve supprimitur purgatio menstrua; insolita, depravataque & varia frequentiùs appetit prægnans, virumque haùd rarò respuit, nec immeritò. Reverà pestis acerba prægnantum, tùnc venus est: inceptum opus turbat sæpiùs improba. In plerisque mense quarto, embryo motus incipit leves edere, certiores in posterum graviditatis indices. Dùm fætus in utero pergit crescere, in acumen tendit abdomen, & umbilicus latet profundior. Quid indè valeant, quidve recusent anni tempestates pro conceptu partuque, non difficile judicatu est. Quæ concepit, ardente sirio, aut brumâ sæviente, illa prægnans à graviditatis exordio, jàm anni duriora experitur tempora. Nedùm commodè ferveat intùs opus, natura ipsa sibi ab ipsis primordiis jàm est adversa. Indè, haùd rarò, aut flaccidæ mammæ abortum præsagiunt, aut vìx formatus fætus extinguitur; aut tandèm generatur imbecillis, post infensiora sæpiùs infaustæ graviditatis tempora. Ità ipsa natura moras objicit eò graviores; quò intempestivè magis primos aggressa fuerit generationis modos. At, Vere novo, juvenili ætate, præsertim à purgatione menstruâ, natura sagax felicissima tùnc generationis suscipit primordia; hæc & eadem benignè, & gradatim fovet, motusque progressivos ità regit & temperat, ut sollicita parentum vota, tandèm Autumno finiente, fausto partu beet. Vitantur æstivi temporis incommoda, detestanda parturientibus; sicut & hyemis inclementia, tàm adversa lochiis. Autumnus imò, felix Colonis & temperatior, otium dat matri, quô ejus indè vires cum fœnore reparentur. Recèns tùnc natus, jàm iisdem gaudere dotibus incipit cum matre; felicior sanè, materno si lacte nutriatur. Sic & matris & prolis servatur integritas; maximè quià naturæ præscriptis totum opus responderit.

Ergò Vere novo Conceptus, Autumno finiente Partus, felicior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Florentius-Carolus Bellot.

M. Ludovicus Pathiot.

M. Franciscus-Nicolaus Gautier.

M. Franciscus Bidault.

M. Joannes-Claudius Munier, Consiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ Invalidorum.

M. Ludovicus-Renatus Marteau.

M. Achilles Franciscus Fontaine, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.

M. Hiacynthus-Theodorus Baron, Exercitûs Regii in Italiâ Proto-Medicus.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ALEXANDER GERVAISE, Ambianensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1748, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1748.